

Zf  
2548





F. N. 69

22

Zf  
1548

IVSTA FVNEBRIA  
 VIRO  
 AMPLISSIMO ET DOCTRINA MERITISQVE  
 EXCELLENTI  
 DOMINO  
 GOTHOFREDO  
 VOCKERODT

ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI  
 RECTORI

CELEBERRIMO MERITISSIMOQVE

ANNO AETATIS LXIII FATIS FVNGTO  
 RITE SOLVENDA

ILL. GYMNASII CIVIBVS

SVO COLLEGARVMQVE NOMINE

INDICIT  
 SIMVLQVE

DE PVGNA SINE MISSIONE

CVM VITA VIRI SCHOLASTICO MVNERE FVNGENTIS  
 CONFERENDA

EX ANTIQVA ROMANORVM MILITIA  
 ET ARTE CVM PRIMIS GLADIATORIA

DISSERIT

IOANNES GODOFREDVS  
 LESCHNER TVS

CLASSIS SEL. PROF. PVBL.

GOTHAЕ, LITTERIS REXHERIANIS.





Vnere fungi scholastico, est militare, est pugnare sine missione. Rectissime quidem ille, omni aduersitatum, tanquam pugnarum, genere exercitissimus probatissimusque, IOBVS censere Interpreti Vulgato, ipsique adeo Luthero nostro, aliisque Theologis, uisus est, omnem *hominis uitam militiam esse, super terram.* Quod et ARRIANVS, in Epicteteis, diserte affirmat, *Στρατεία τις ἐστίν, ὁ βίος ἐκάστου.* Sed in promptu tamen fuisse THOMAE SAGITTARIO, P. L. C. Graecarumque literarum, in Academia Ienensi, doctori publico, dum uiueret, celeberrimo, caussae non contemnendae, quare, Oratione inaugurali, speciatim *BONI MILITIS ET STUDIOSI ΣΥΓΚΡΙΣΙΝ* Institueret. Scilicet habet omnino bonus miles suos hostes, peregrinos, domesticos, quos adoriri eum intrepido decet animo, neque detrectare proelium, uel difficillimum, si quod inire, aut religio iubeat, aut publicae rei falus. Neque abiicere, una cum hasta, animum, aut exercitum deserere, fas est, sed strenue pugnandum, dum tandem gloriosam de hostibus adeptus fuerit uictoriam. Pari ratione bono literarum cultori hostes sunt accerrimi, uoluptas uidelicet, blanda illa Siren, quae aspectu quidem laeta, iucunda auditu, sed effectu affectuque letalis est, ignauia item, illa Mercurii lyra, quae ipsum etiam

etiam Argum confopire potest facillime. Qui hostes, uelut externi, in auxilium habent inscitiam in intellectu, in uoluntate nequitiam. Quibus ceterisque omnibus nisi strenue resistent iuuenes, Musarum secuti castra, idque piis maxime precibus, solertique industria, omnem rei bene gerendae occasionem praetermittentes, deuicti tandem succumbunt, neque unquam, statione relicta, propositam sibi pietatis eruditionisque lauream consequuntur. Adeo uerum est, quod sibi eo tempore explicandum proposuerat SAGITTARIUS, uulgare illud dicterium, *Studiosus militat omnis*. Quae cum ita sint, quanto potiore iure dicendum illud erit de uiris, scholastico munere fungentibus. Horum praesertim, horum uita, si cuiusquam alius hominis, perpetua est militia, est pugna sine missione. Quanta enim hostium cohors, quantus exercitus, quantum eheu! agmen est eorum, quibuscum illis est quotidie confligendum, manusque uelut conferendae. Praetermitto, ut breuis sim, quae notissima sunt omnibus, effrenamque adeo iuuentutem, cuius insolentiam si quando reprimere, flectere, coercere, et, quantum licet, extirpare, boni praeceptores intendunt, non desunt, inter probos non adeo multos, iuuenes tam male feriat, qui eos non odio tantum habeant, sed trifulco quasi uenentatae linguae telo, etiam palam, obruncare et confodere haud uereantur. De solo di-

cam doctorum scholasticorum contemtu,  
 qui proh dolor! tantus est, ut felicissimus ce-  
 teroqui iuuentutis scholasticae formator,  
 MICH. NEANDER, suo iam tempore, *MISERI-  
 AM ET CONTEMPTVM, VNAM ETIAM DI-  
 GNITATEM ET GLORIAM PRAECEPTO-  
 RV M PVBLICORVM*, publice deplorandam,  
 censuerit, idque carmine Graeco Sapphico  
 fatis longo doctissimoque, quod deinceps,  
 ueritatem querimoniarum Neandri, sua ipfi-  
 us, nisi fallor, experientia, edoctus, latine  
 reddere non dubitauit Io. GEORGIVS KET-  
 TEMBEIL, Scholae Senatoriae Luneburg. Re-  
 ctor. Neque fere alter ille SAGITTARIVS,  
 cui praenomen fuit CASPARI, reperire potuit  
 uerba, aut noua fingere nomina, quibus, o-  
 ratione, *DE MISERIA PRAECEPTORVM*,  
 sub auspiciu Reçtoratus Salsfeld. habita,  
 scholasticorum contemtores doctorum in-  
 „signiret. Multiplicatur, inquit, hodie  
 „*μισομοχθων*, Gnosimachorum, Cyclopum,  
 „ac Centaurorum, turba super numerum.  
 „Bambaliones, Balatrones, Cynici, singulos  
 „uniuersi orbis angulos undiquaque occupa-  
 „runt, asperrime et acerbissime ordinem hunc  
 „in uulgu traducentes, et doctores *καθαγαρα*,  
 „scholas ignauiae esse officinas, uociferan-  
 „tes, non secus ac olim impius ille, apud A-  
 „ristophanem, Strepsiades iniustiae admini-  
 „stras eas esse, grandi opinionis errore per-  
 „suasus erat. Per hos itaque infensissimos  
 „Musarum hostes si starent, ac caderent,  
 res

res scholasticae, non secus ac olim Lyfima-  
chus toto regno Philosophos, sic illi inno-  
centissimum genus hominum, scholasticos  
doctores, a statione deiicerent, ac, ut olim  
mundi Seruatorem Gergesen, sic illi lite-  
ratos, & eos in primis, qui optima quae-  
que inculcant iuuentuti, quique in maiori  
apud ipsos dignitate non sunt, quam ancil-  
la domi (sit uenia Plautino dicto) quae la-  
trinam lauat, a finibus suis arcerent, et eii-  
cerent. Quibus cum monstris hominum  
cum, pro officii ratione, decertandum est  
piis praeceptoribus, quantaе requiruntur  
uires, at quantaе etiam, in tali conflictu, de-  
bilitantur haud raro, uel potius consumuntur.  
Et tamen pugnandum est iis, immo  
saepius, quod SENECA, *Libro de Providentia*, de  
illaesa praedicat felicitate, de genu pugnand-  
um, quando, sauciorum militum, qui, ut  
idem loquitur SENECA, succisis poplitibus,  
in genua se excipiebant, nec arma dimit-  
tebant, aut ualde defatigatum, instar, con-  
tinuis defessi laboribus, nihilo fecius deman-  
data sibi diuinitus munia, ut suo satisfaciant  
officio, patriaeque profint, obire coguntur.  
At enim uero illud in primis triste uerbum est,  
scholasticorum uitam doctorum non modo  
militiam esse perpetuam, sed saepius etiam  
pugnam sine missione. Tam recte, quam  
erudite, I. LIPSIVS, *missionem cum rude con-*  
*fundendam non esse, arbitratus est, propter-*



ea quod rudis ad uictores, ad uictos autem pertinebat  
missio. Erat nimirum *missio*, apud ueteres Romanos,  
gratia deserendi pugnam, quae uictis interdum gladiato-  
ribus dabatur. Quod si placeret, ut eo usque pugna  
gladiatorum continuaretur, quoad occumberet alteru-  
ter, dicebatur *pugna sine missione*. Atque adeo, *sine mis-  
sione* dare gladiatores, & *sine missione pugna*, nihil aliud  
est, quam ad certam mortem dari, nisi uincas, ius non  
esse, uulneratos supplicesque liberandi, interprete SAM-  
PITISCO, in Lex. Antiquit. Romanar. T. I. p. 871. b. Ita  
intelligo LIVIUM, quando Persei, regis Macedoniae,  
spectaculorum magnificentiam enarrando, saepius eum,  
addit, gladiatorium munus dando, & modo uulneribus  
tenus, modo *sine missione* etiam, & familiare oculis gra-  
tumque id spectaculum fecisse, & armorum studium  
plerisque iuuenum accendisse. Paulo uero clarius,  
eam rem ad militiam accommodando, interpretatur  
FLORUS, ubi de militibus Spartaci, antea gladiatoris, tunc  
imperatoris, eorumque uirtute, spe salutis desperatissima,  
ita disserit. Tandem, eruptione facta, dignam uiris ob-  
iere mortem, & quod sub gladiatore duce oportuit,  
*sine missione* pugnatum est. Nec parum huic Romano-  
rum ritui lucis affert temerarium C. Caesaris factum,  
quem, iratum coelo, refert SENECA, quod obstreperet  
Pantomimis, quodque comessatio, uel, ut LIPSIUS legi  
mauult, commissio, ipsius fulminibus terreretur, prorsus  
parum certis, ipsum Iouem ad pugnam, & quidem *sine mis-  
sione*, uocasse. Quod si iam scholasticorum uitam conside-  
ramus doctorum, parum abesse, deprehendimus, quin ea-  
dem illis, munus suum auspiciantibus, quae gladiatoribus  
olim, ab iis forte, a quibus producebantur, occini  
solita, quaeque apud APVLEIUM legimus, uerba, ab rei  
scholasticae contemtoribus, oecimantur, *Occide, moriturus*,  
*pugna haec non habet missionem*. Etenim pauci ad-  
modum sunt, qui, per plurimos annos, scholastico munere,  
etiam egregie, nec sine singulari reipublicae commodo,  
functi



functi, rude tandem donentur, aut, aetate licet uiribusque fracti, missionem accipiant, plures contra, qui in puluere scholastico *sine missione* pugnare teneantur. Plura eam in rem afferre nec uacat, neque lubet, cum recentissimum habeamus exemplum in V. C. cuius honori haec tabula dedicata est, GOTHOFREDO VOCKERODT, Rectore de Ill. Gymnasio nostro egregie optimeque merito. De cuius uita, & in rem scholasticam meritis, iam paucis exponemus, plura fortasse commodiore tempore enarraturi. Enimvero Ille, si quisquam alius, natus fuit, prout denuo SENECA de omnibus pronuntiat hominibus, *sine missione*, atque in arena etiam scholastica *sine missione*, id est, usque ad mortem, pugnavit. Patriam habuit liberam imperii ciuitatem Thuringiae, Mulhusam, anno superioris seculi quinto & sexagesimo, die octauo Calend. Octobr. ft. u. ibidem honestis parentibus natus, patre quidem eiusdem ciuitatis ciue, SEBASTIANO VOCKERODT, & matre, IVDITHA STILERIA, e senatoris familia Vockerodiorum, Stileteriorum, & Reinhartorum, descendentibus. Prima scholasticae militiae tirocinia posuit Noster sub ducibus, formandis pueris iuuenibusque peridoneis, domesticis quidem, ANDREA VOLNHAVPTIO, Gymnasii patrii, eo tempore, alumno, post Professore in Academia Erfordienſi publico, coetusque diuiniſ adminiſtro, & ECCARDO FINCKIO, publicis autem, uiris doctissimis clarissimisque, in laudato Gymnasio bene feliciterque pugnantibus, DAMERODIO, GRAEFIO, HOPPIO, BINCKERANCKIO, VRBACHIO, KNORRIO, MELBACHIO, APELIO, SCRIBONIO. In hoc puluere scholastico cum ad annum usque octauum & decimum pugnaſſet perindustrius tiro, post recitatas non paucas orationes, Latine Graecee suo Marte elaboratas, tandem publico sermone, de *SCHOLIS*, quasi ad scholam natus esset, Gymnasio patrio uale uſimum dixit. Ex quo eo pacto dimiſſus, ad altiora se contulit studia, eoque in longe amplioſer pariter, ac periculoſioſer, arenam descendit. Iena erat, celeberrima illa Musarum castra, in quibus, Reſtori magnifico, magni nominis Theologo, IO. GUILIELMO BAIERO, solenne Academicae militiae iusiurandum reddebat, eoque in numerum studioſorum, in his caſtris militantium, recipiebat. Verum hic etiam partes boni militis literati expleuit omnes. Profecit tiro Academicus, in omni ſcientiarum genere, ex animi ſententia, ducibus uſus uiris Clar. usque peritissimis, quorum scholas diligentissime frequentabat. SCHMIDUS, SAGITTARIUS, VEIGELUS, FRISCHMYTHIS, POSNERIS, SCHLEVOGTIS, SCHVBARTIS, STARCKIUS, HARDTIS, HEBENSTREITIS, BECHMANNIS, VELITHEMUS, BAIERIS, DANZIUS, aliis. Tandem, ueteranus factus miles, ſemel iterumque descendit in arenam, quam uocant, diſputatoriam, & nunc diſſentientis, nunc respondentis, partes cum laude ſuſtinuit, praecurrentibus ei uiris in hac arte exercitatissimis, SCHMIDIO praefertim, ſub cuius praefidio, de *VIIS COGNOSCENDI DEVM*, diſputauit respondendo, itemque HEINSIO, BOEHMIO, BECHMANNO. Cum primis autem eidem SCHMIDIO tantum se debere, tabula, in eius memoriam non ita pridem publicata, profecſus est, ut, ingratum se uideri poſſe, putarit, niſi palam praedicaret propitii ſibi Numinis prouidentiam, quae

talem

VD 19

PK 24 25 45

talem ipsi tironi dederit magistrum. Tam vero tempus erat merendi stipendia, suaque eruditione etiam bene de iuuentute Academicam merendi. Itaque A. MDCLXXXV, pridie Calendas Nouembres, Philosophiae Magister renunciatus, cum hunc honoris gradum, duabus Disputationibus, de *SOCIETATIBVS LITERARIIS*, aliaque, de *SOCIETATIBVS ET RE LITERARIA ANTE DILUVIUM*, ipse Praeses, egregie tuitus esset, tandem aperuit scholas, frequentique auditorio, nunc styli Romani elegantiam, nunc codicem Ebraeum, interpretatus est, nunc Logicam & Metaphysicam praelegit. Editis etiam eruditis aliis Dissertationibus, de *NOTITIA S. SCRIPTURAE APVD GENTILES*, it. de *FOEVTRA ARTIFICIOSA IACOBI*, tanta de GOTHOFREDO nostro summorum uirorum opinio fuit, uti praecipuo cum honore, dignitate, gratia, dignum putarent. Sic autem se gerendo, tam praeclara de se opinione excitauit Gymnasii Hallensis Patronos & curatores, ut *CON-RECTORATVS* munia ei, nec opinanti, deferre non dubitarent. In hac igitur provincia scholastica constitutus Nolter, recordatus esse mihi uideatur iurisiurandi gladiatorum, quo, se omnia passuros aufurosque, *uri, uinciri, uerberari, ferroque necari*, iurabant. Quam iurandi formulam HORATIUS respicit, *Sar. II, 7, 58. Quid referi, inquit, uri, uirgis, ferroque necari.* Etenim, quasi classicum canere uoluisset, ad arma contra scholasticam irurus barbariem, cum eaque sine missione pugnatus, de *BARBARIE SCHOLASTICA*, sub noui muneris aditum, perorauit. In eadem persistit sententia, cum, anno superioris seculi nonagesimo tertio, SERENISSIMORVM, eo tempore, TUTORVM nomine & iussu, in Ill. Gymnasio nostro, eiusque *CL. SELECTA, PROFESSIO* ei demandaretur. Neque mutauit animum, dignus B. HESSE successor datus, & constitutus insequenti anno Ill. Gymnasii Rector. Quam bene autem, quamque egregie, hanc, per triginta & tres annos, ornauerit provinciam, & quam strenue feliciterque in hac ultima pugnauerit arena, quo minus tam copiosius exponere possim, tempore excludor. Et sane tot publice extant *VOCKEROTIANI* ingenii, doctrinae, laboris atque industriae, plane singularis, documenta, & monumenta, uti actum agere uideri possent, si ea singula, in praesenti tabula, quae horum multitudinem non capit, enumerare uellem. De meritis eius in patriam, in rem scholasticam & literariam, ipsa res loquitur, uel potius clamat. Nec desunt huius rei testes fide digniores, non domestici tantum, sed etiam exteri, quippe qui, fama doctrinae dexterarumque *VIRI CELEBRATISSIMI* exciti, eius fidei atque institutioni liberos suos certatim crediderunt. Erat enim sagacissimus ingeniorum explorator, omniaque liberaliter complectebatur quidem, sed eis ita tamen, quae foueret prolixius, acriora deligebat. Inopes autem, bona praesertim indute praeditos, suscipiebat tuendos, eosdemque, & sine praemio erudiebat, & quanta poterat, ope, etiam cum rei familiaris damno, iuauat. Quibus rebus fiebat, ut de multis mereretur bene, parentibusque filios redderet, ingeniis aequae, ac moribus, emendatos, quorum, uel in aulis celsissimorum Principum, uel in Academicis, alioque loco, illustrium, nomina iusto catalogo recensere instituerunt Collegae coniunctissimi, *IO. ELIAS, & GUORG. BALTAS. RICHARDI*. Illos uetera omnes cum a fera aegritudine uita ad humanum deduceret cultum, nullum sane diligentiae munus erat praetermittendum, nulla detrectanda pugna. Immo uero in hac arena ad meliorem deuocatus uitam, ante diem VI. Id. Octobr. pie placideque hinc demigravit, iamque in coelis, palmam, uictorum ritu, adeptus, de superatis huius uita acruumnis omnibus, gloriose triumphat. Vestrum autem est, *CINES LI*, Gymnasii amantissimi, tam repentinam Rectoris nostri de prouincia sua, optime administrata, defensionem, fuis lacrymis, nobiscum deplorare. Amisit doctorem praestantissimum dextrimumque, amisistis patrem indulgentissimum, pauperumque in primis alumnorum patronum benignissimum. Concurrite itaque, moellissima mente, & cum nulla iam alia re uestram in pie desultum declarare possitis pietatem, ad iusta ei funebria soluenda, frequentes se inate. P. P. ipso exequiarum die, pridie

Id. Octobr. MDCCXXVII.

MC

ULB Halle 3  
002 670 488





A. N. 69

22

Zf  
2548

IVSTA FVNEBRIA  
 VIRO  
 AMPLISSIMO ET DOCTRINA MERITISQVE  
 EXCELLENTI  
 DOMINO  
 GOTHOFREDO  
 ERODT

MNASII GOTHANI  
 CTORI  
 O MERITISSIMOQVE  
 TIS LXIII FATIS FVNCTO  
 E SOLVENDA  
 NASII CIVIBVS  
 ARVMQVE NOMINE  
 NDICIT  
 SIMVLQVE  
 A SINE MISSIONE  
 LASTICO MVNERE FVNQENTIS  
 NFERENDA  
 ROMANORVM MILITIA  
 A PRIMIS GLADIATORIA  
 DISSERIT  
 GODOFREDVS  
 HNER TVS  
 IS SEL. PROF. PVBL.

LITTERIS REXHERIANIS,

